Clericos, quam Laicos criminum graviorum reos, aut suspectos /: sive ad forum nostrum sube, vel mixtim pertinuerint /: processus formandi, et Nos, Curiamve nostram super iis-
dem informandi, eos suadente, et exigente necessitate capiendi, et incarcerandi invocato, quatenus opus fuerit, Brachio saeculari. 3tio Publice delinquentibus /: a Nobis praemonitis :/
publicam imponendi Poenitentiam. 4to Ecclesiis per obitum, absentiam, aut infirmitatem parochorum, aut Beneficiatorum vacantibus, aliisque debitis ministeriis destitutis idoneos
vicarios cum honesta Congrua substituendi. 5to Bona sacerdotum defunctorum hereditarie aeque, ac in Ecclesiis, seu Beneficiis suis aquisita, et relicta /: qualiacunque illa sint :/ inven-
tandi, testamenta facta examinandi, et exequendi, ac secundum juris praescripta ordinandi, et inter heredes dividendi. 6to a casibus potestati nostrae Epplis Reservatis /: non excepto :/ absol-
vendi. 7mo sacram supellectilem, omniaque indumenta Ecclesiastica, et utensilia ad sacrificium Missae necessaria /: in quibus sacra non intervenit unctio :/ Benedicendi, Ecclesiasque
pollutas, si consecratae non sint, reconciliandi. 8vo Causas Ecclesiasticas, anniversaria, fundationes, aut Legata pia & audiendi, auditasque ad nos, vel officium nostrum pro de-
cisione transmittendi, matrimoniales vero usque ad sententiam definitivam /: quam Nobis, vel officio nostro Reservamus :/ cognoscendi, uti etiam super una de trinis
solitis Denuntiationibus a sacra synodo tridentina praescriptis, si gravis subsit necessitas /: uti tuam conscientiam desuper oneramus :/ dispensandi. 9no si unius, vel plurium de venerabili
Clero nostro testimonium a judice saeculari peti contigerit, illum, vel illos super positis articulis, sive formatis interrogatoriis servato debito ordine sub fide sacerdotali audiendi, depositi-
onesque eidem Judici saeculari, ut opportune in Judicio pergere valeat, remittendi. 10mo festivitates, et alia, quae praecipit sancta Mater Ecclesia, observari mandandi, ac tandem
omnia ea faciendi, gerendi, et exercendi, quae similes vicarii foranei facere gerere, et exercere assolent. quae omnia, et singula hactenus descripta, aliaque si
rite per te, uti confidimus, acta, et actitata fuerint, rata et grata habebimus, mandantes universis, et singulis parochis, presbyteris, Clericis, caeterisque, ad quos spectat, ut
te in talem vicarium foraneum recipiant, admittant, et recognoscant, tibique debitam obedientiam et Reverentiam exhibeant. in quorum omnium fidem praesentibus
propria manu subscriptis solitum sigillum nostrum appendi jussimus. Curiae ex Palatio Residentiae nostrae Epplis 26ta Junij 1775.

Joa: Ant: Epus
Curiensis mppria

Leonardus Malang
Regist. Epplis

Bischöfliches Archiv Chur / Schweiz